

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Rituale Sive Obsequiale Ecclesiae Et Dioecesis Constantiensis**

**Constantiae, 1686**

Rvbrica ordinis, et modi communis baptizandi simul plures tam unius,  
quam diversi sexus

[urn:nbn:de:bsz:31-132849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-132849)

**R V B R I C A**  
**ORDINIS, ET MODI COMMUNIS**  
 baptizandi simul plures tam unius,  
 quam diversi sexus.



Notet primò Sacerdos, volens exorcizare & catechizare simul plures sive infantes, sive adultos, meminerit eorum, quæ supra habentur, fol. 10. Quando verò plures diversi sexus sunt, ut omnes exorcismos & orationes, quæ signantur in margine (*super omnes*) legat super omnes utriusq; sexus: Quæ verò signantur in margine (*super singulos*) legat in particulari super unumquemq; baptizandum, quotquot ad sunt: Speciales verò orationes alterius tantum sexus, super omnes illius sexus, qui in margine indicantur, dicat: Vt quando in margine habetur (*super masculos*) tunc super masculos tantum; vbi verò ponitur in margine (*super femellas*) super illas solum pronuntiet talem exorcismum, vel orationem. Quare ne erret Sacerdos in hac re, Masculos simul, idque à dextris, & femellas simul à sinistris statuat.

Notet secundò, Vt exorcizando & catechizando plures diversi sexus (ut Masculum vel masculos, cum Femella, vel femellis) adjectiva & participia propter personam digniorem per Conceptionem in masculino genere proferat. Quocirca nihil hoc \* signum stella curans, omisis illis, intra parenthesin continentur, inoffensè pergat. Id, qui securè facere nequit, cum masculis seorsim, deinde cum solis femellis agat, modo subscripto.

No. et tertio, Vt, si aliquos ex Gentilismo vel Iudaismo venientes adultos contigerit esse baptizandos in ordine infraposto interrogationes convenienter mutet, & ipsos baptizandos, & non eorum patrinos sive susceptores interroget, qui etiam ipsimet ad interrogationes respondere debent, quod & in superiori ordine & modo jam tradito observandum est.

**ORDO**